

Philosophicè falsa vulgò enumerantur, talia non esse. Ut enim suam probent opinionem, quædam in scenam producunt, ut, *quòd ex nihilò fiat nihil, idem non possit reproduci numericè, mundus sit æternus, virgo non possit parere, unum non sit trinum, corpus grave feratur deorsum, ignis urat admotam materiam, à privatione ad habitum non detur regressus, & id genus alia, quæ istius notæ esse nulli dubitant.* Ergo age, morem illis geramus, atque unum ac alterum examinemus, ipsosque prorsus falli ostendamus. Primò igitur afferunt, *Ex nihilò nihil fieri,* & hoc Philosophicè verum esse ajunt, & quidem rectè, cum principium per se cognitum sit, & inter notiones communes recensetur; At verò Theologicè falsum: Nam Deum mundum hunc aspectabilem, & quæcunque eò continentur, ex nihilò condidisse docent S. Paginæ. Ad quod respondemus negandò; quantâcunque enim sedulitate ac diligentia illas evolverimus, nullibi aliquid, quod istius speciem præ se ferebat, reperire potuimus, quàm lib. 2. Macabæor. cap. 7. vers. 28. qui cum Apocryphus sit, adeoque apud plerosque Christianos divinâ autoritate non polleat, ac præterea etiam Philosophiæ faventem explicationem admittat, nullum hîc negotium facessit. Verùm an non Moses (sic mihi magnò fervore regerentes audire videor) satis expressè hoc docet, cum libros suos sic orditur, *In principiò creavit Deus cælum & terram,* hoc est, ex nihilò fecit; sic enim interpretandum est vocabulum *Creationis?* Sed verò rogare mihi libet, quisnam illos edocuerit, cum multis aliis priorum Genesios capitum in locis *create* significet ex aliquâ præexistente materiâ producere, in ipsò tamen linime denotare productionem ex nihilò? Undenam talem hauserunt interpretationem: Sanè non ex Scripturâ, nullus enim locus hoc habet, non ex Philosophiâ, hæc enim contrarium statuit, ut ipsi fatentur. Erit ergo, aut ex ipsorum cerebrò profecta, aut institutione accepta: Quapropter etiam donec illud axioma Theologicè falsum esse demonstraverint, tam in Theologiâ, quàm Philosophiâ verum maneat atque indubitatum. Alterum, quod producitur est, *Idem non posse reproduci numericè:* quod quidem Philosophicè verum esse concedunt, quoniam ad omnis individui procreationem, & conservationem (quæ nihil aliud, quàm continua procreatio est) confluxus causarum partialium individuarum requiritur: At in Theologiâ falsum esse clamitant; docet enim illa, eadem numerò corpora in novissimò extremi Judicii die resurrectura, idque probat ex Job. cap. 19. vers. 25, 26, & 27. & 1 Corinth. cap. 15. At profectò mirari satis non subit, viros gravissimos, atque alias satis perspicaces, ita opinionibus, aut ab infantiâ haustis, aut institutione acquisitis, aut cæcò impetu arreptis adhærere, ut istas sine probationum accuratâ, & nulli parti addictâ examinatione, mordicùs teneant, doceant, defendant. Nam dogma hoc de ejusdem